

753 57
4848
170
65

D. D.
FRAGA VESCA,

Differtatione Botanica,
Venia Experient. Facult. Med.
In Regia Academ. Upsal.

PRÆSIDE

VIRO NOBILISSIMO ac GENEROSO,

D. D. CAROLO à LINNÉ,

S. R. M. ARCHIATR. EQ. AUR. DE STELLA POL. MED. ET BOTAN. PROF.
R. O. ACAD. PAR. PETROP. IMP. N. C. HOLM. UPS. LOND. ANGL.
FLOR. BERGL. MONSP. TOLOS. BERN. EDINB. NIDROS.
CELL. PHILADELPH. ZELAND. MEMB.

In Auditorio Gustaviano Die XXVI. Maji A. MDCCLXXII.

Horis Ante Meridiem Solitis,

Publicæ Ventilationis Proposita

Stipendiario Kåbreano,

SVENONE ANDR. HEDIN

Smolando.

B. B. Kauf 2007
1283

UPSALIÆ,
Typis EDMANNIANIS.

à
MADAME La Douairiere
**EBBE CHRISTINE
ANNERSTEDT,**
née **H U M B L E,**

Madame,

*Saisi d'un profond Respect pour vos bonnes Qualités,
& penetré d'une vive Reconnoissance pour Vos Bien-
faits envers moi, j'ose Vous faire hommage de ce
petit Essai Academique.*

*Daignez, Madame, je Vous en supplie, le re-
cevoir gracieusement. Un Cœur noble, tel que le
Votre, ne demande point de meilleures epreuves,
qui ne soyent dans mon pouvoir, du Respect & de
la Reconnoissance parfaite, avec la quelle j'ai l'hon-
neur d'etre, toute ma Vie,*

Madame,

Votre
tres humble & tres
obeissant Serviteur
SVENON AND. HEDIN.

Viro

Admodum Reverendo & Præclarissimo

D:o Mag. AND. ELIÆ WIESEL,

*Pastori Ecclesiarum, quæ Deo in Skatelöf, Torsåbs, & Her-
lunda colliguntur, Vigilantissimo, Præposito Districtus
Alboënsis Meritissimo, Patrono omni animi
observantia perpetim colendo.*

nec non

Viro

Admodum Reverendo & Præclarissimo

D:o Mag. SAMUELI LINNÆO,

*Pastori Stenbrotensium Vigilantissimo,
Fautori Optimo, ad cineres devenerando.*

Quanta trahar cupiditate gratissimum, in Vos, Euverge-
ta Exoptatissimi, declarandi animum, dici vix potest.
En! effulsit dies ille diu desideratissimus, quo publice id fa-
cere liceat. Faciam itaque, sed ut digne fiat, rudis mea
vetat Minerva; Tanta enim in me exstiteret Gratiae Beni-
gnitatisque Vestrae documenta, tanta in Parentes meos bene-
facta, ut in istis prædicandis omnis bebescat, oporteat, E-
loquentia Quid de remuneratione dicam? Nihil certe habeo,
quod offeram, mentem præter venerabundam, cujus testem
hanc volui esse opellam, quam Vobis consecrare sustinui; Hanc
sereno si adspexeritis vultu, omni beatus abeo Favore. Cete-
rum voveo Numen dignetur supremum, Vos, in Ecclesiae
emolumentum, in Familiarum Vestrarum decus, inque Clie-
ntum, inter quos ut me referatis, quaeso, solatium, in annos
bene multos servare sospites, incolumes, superstites. Perman-
surus sum, dum vixero.

Admodum Reverendorum & Præclarissimorum
Nominum Vestrorum

cultor humillimus

SVENO AND. HEDIN!

LandtRåntmästaren öfver Kronobergs Lån

Adel och Högagtad

Herr ANDERS GRAM.

Påst Inspectoren i Wexio Stad

Adel och Högagtad

Herr ERIC DUSE.

Råd och Handelsmannen i Wexio Stad

Adel och Högagtad

Herr ERIC LENQUIST.

Mine Gunstige Befordrare.

Tillåt ett snille prof i ödmjukhet få visas,
Jag vet det ringa är, jag bättre ej förmår;
Dock i des innehåll en Stor LINNE beprisas,
Af bonom lärdd och ledd min ringhet säker går.

Jag borde om Er gunst, Er mykna ynnest skriva,
Om all bevågenhet Min Faders hus har rönt;
Men hvad! på sådant djup jag mig ej ut kan gifva,
Af Almagts hand Er dygd kan endast bli belönt.

Om Eder tåks min nit med blida ögon skåda,
Så har jag vunnit alt hvad sökts i dessa blad.
Får ömma hjertats eld och, rena önskan råda,
Vist blir Er Himmel ljus Er hela lefnad glad.
Med all högagtning har åran framberda

Mine Herrars

ödmjuka tjänare

SVEN AND. HEDIN.



§. I.



Humi nascentia *FRAGA* occurrunt spontanea, non solum in Svecia nostra, inde ab Alpibus Lapponicis ad austrialia Scaniae Campestria, sed & per totam Europam, per Asiam etiam; Africam & Americam crescunt. Adeoque *Fragaria* plantis annumeratur iis, quæ omnes quatuor mundi partes incolunt, uti *PORTULACA*, *VITIS*, paucissimæque aliæ. Quod naturæ hunc Fructum ubique serere placuerit, neque sine Numine factum, quum eundem forte præcipuo usui Generis Humani destinaverit.

§. II.

SENTICOSÆ constituunt Ordinem Naturalem XXXV in Generibus plant. D. Præsidis. Hic ordo sequentia Genera sub se comprehendit.

<i>Alchimilla</i>	<i>Tormentilla</i>	<i>Geum</i>
<i>Aphanes</i>	<i>Potentilla</i>	<i>Dryas</i>
<i>Agrimonia</i>	<i>Fragaria</i>	<i>Rubus</i>
<i>Sibbaldia</i>	<i>Comarum</i>	<i>Rosa.</i>
	A	<i>Radix</i>

- Radix* his perennis, excepta *Aphane*, fibrosa.
- Caulis* plerisque annuus, exceptis *Rubis* quibusdam & *Rosis* facile plerisque, quibus suffruticosus; in nullis vero arboreus.
- Folia* omnibus alterna, petiolata, infoliatione plicata, plerisque composita, pubescentia; stipulæ omnibus binæ.
- Flores* sparsi, ex alis prodeuntes, plerumque pedunculati.
- Fructus* qui ex *Pericarpio*, semina includente, constare solet, in his, proprie dictus, certe nullus est.
- Rosa*, vulgo dicitur *Pericarpia* seu *Poma* producere, sed *Pericarpio* plane orbatur & *Calyx* tubulosus, collo coarctatus, fundo semina continens, Demum ipse, baccae modo, maturefcit, coloratur, emollescit, solis laciniis arefactis.
- Rubus*, fructu suo singularis admodum est; Receptaculum enim seminum quasi duplici epidermide obducitur, intra quam succus & semina latent, adeoque decidit hæc *Bacca* concava instar pilei. *Agrimoniae* fructus constat solo calyce hispido, vestibibus obambulantium & velleribus animalium adhærente, nec quæ vulgo seminum nomine veniunt, alia sunt quam *Calyces*.
- Qualitate* hujus ordinis plantæ multum conveniunt; Sapore stiptico & sicco sunt omnes, radice quidem magis, quam caule, unde *Radix Tormentillæ* & *Alchemillæ* certat cum *Bistorta*.
- Odore* minus valent ipsæ herbæ, paucissimæ tantum, uti *Ulmæria*, quæ fragrant; *Odore* grato flores

flores excellunt Rosæ; Fructibus Rubus arcticus & Fragaria Vesca; Radicibus autem solum Geum.

CHARACTER Botanicus pro hoc ordine combinando est.

Calyx perianthio monophyllo laciniis duplicatis, exceptis Aphane, Rubo.

Corolla polypetala regularis, exceptis Alchemilla & Aphane apetalis, Tormentilla tetrapetala, Dryadi octopetala.

Stamina Calyci (non receptaculo) inserta, circiter viginti, rarius plurimis, at 4 Alchimillæ, Aphani; 5 Sibbaldiæ; 12 Agrimonix; multa Rosæ.

Pistilla plurima, stylis solitariis; sed 1 Alchimillæ, Aphani, 2 Agrimonix, 5 Sibbaldiæ.

Pericarpium, nullum, quamvis Rosa Calyce mentietur Pomum, & Rubus epidermide Baccam.

Semina nuda, plurima, pro numero scilicet pistillorum; sunt hæc aristata Geo; caudata hirsuta Dryadi.

§. III.

FRAGARIA est Genus distingvendum a cohortibus senticosis: Calyce 1ofido, Petalis 5, Stamini- bus 20, Pistillis plurimis, Seminibus muticis, Receptaculo ovato, carnosio, deciduo.

Militat sub Classe jcosandriæ, ordine Polygyniæ.

Essentialis nota, qua distingvitur, est Receptaculum carnosum deciduum; Comarum gaudet quidem Receptaculo carnosio, sed permanente.

SPECIES Fragariæ vix plures quam duæ, vere distinctæ, etiamnum innotuere.

Sterilis FRAGARIA caule decumbente ramis floriferis laxis. Syst. Nat. 2. pag. 350. Spec. plant. 709 n. 3. distinguitur a sequenti facillime, quod nulla producat flagella, quod Caules floriferi decumbentes sint, qui in sequente erecti; quod flores solitarii, quod petioli & Receptaculorum peripheria valde lanata. Cum vero hujus fructus non esculentus sit, hancce intactam relinquo speciem.

Vesca Fragaria flagellis reptantibus. Syst. Nat. 2 pag. 349. Spec. plant. 1. 708. omnibus notissima, de qua acturus sum.

Chiloensis Fragaria, quam delineavit *Frezier itin.* pag. 70. *Dillen. elth.* t. 120. f. 146. *Miller ic.* t. 288. Structura omnino convenit cum Fragaria *Vesca*, sed differt insigni magnitudine totius herbar, utpote quæ Caule semipedali est & Foliis proportionem magnis & crassis, Baccis itidem magnitudine Pruni. Pluribus etiam quam quinque petalis instruitur, hisque non obcordatis, sed integris. Hanc primus *Frezier* circa Civitatem *Conception* invenit, ejusque vivas radices secum attulit Parisios, & D. D. *Jussæo* dedit. Inde in Hortum pervenit *Leidensem*, inde in Hortum *Cliffortianum*, inde in Hortum *Cheltenhamum*, inde in Hortum *Oxonensem*; indeque prolata in Hortos plerosque *Europæ*, etiam in *Upsaliensem*. Hæc cum sola magnitudine, fru-

fructuque minus lapido differat, vix specie a
Fragaria vesca distingvi potest. Imprimis cum
flagellis similiter instruatur.

Muricata Fragaria a Zanono pro palata, at minus
bene descripta, differt etiam magnitudine, sed
imprimis fructu seminibus muricato, vix ut
fructus deglutiri queat, nisi abrasis prius semi-
nibus. Rarior hæc species paucisque nota, me-
ra erit varietas Fragariæ Vesca, ex auctoritate
D. Halleri.

Ceterum duæ insigniores varietates Fragariæ
Vesca per Europam frequentes sunt: *Sylvestris* (no-
bis Smultron) crescit ubique in aridis, sylvaticis,
apricis locis, & imprimis in silvis cædvis, distincta
fructibus lævibus, quibus inspersa sunt semina, ma-
gis fragrantibus. *Pratensis* (nobis jordgubbar) crescit
in pratis humili gramine vestitis, differt imprimis
fructibus adspersis punctis concavis, in quibus se-
mina resident; minus fructibus fragrans est, sapore
præcedenti accedit, & promiscue esculenta est, uti
præcedens, minus licet frequens.

Monophylla Fragaria nuper detecta a D:o Du-
chesne & cum Horto Upsaliensi communicata, To-
ta structura cum Fragaria Vesca convenit; differt
tamen insigni & maxime singulari nota, Foliis sci-
licet simplicibus nec ternatis, ut nullus non eam
pro distincta assumeret specie, Cum vero hæc pri-
ma folia radicalia non raro ternata producat, fa-
cile divinare licet, hanc a Fragaria Vesca primum
fuisse productam.

Varietates plures, qui velit, adeat D: i Duchesne monographiam de *Fragis*, ante aliquot annos Parisiis editam, Gallice, octavo, qui pulcherrime has varietates pertractavit.

Colitur non raro *Fragaria Vesca* in Hortis nostris oleraceis, tam *Sylvestris* quam *Pratensis* varietas, ubi mirum in modum luxuriat & multiplicatur flagellis suis copiosissimis, unde etiam magis sterilis evadit, adeoque Hortulani studiose flagella hæc decerpunt, & terram circum plantam ad radicem, in acervum, Talpæ simillimum, cumulant, ut Fructus ferat copiosiores; minus tamen Sapidos & Fragrantes fructus reportant, quam ex planta Spontanea.

Flores Spontaneæ plantæ destruuntur sæpe Gelu vernali, aut Siccitatæ aëris, unde annonæ caritas hujus fructus sæpissime sequitur.

Fraga apud varios varia obtinent nomina

- | | |
|--------------------------|-----------------------------|
| <i>Snolandis jordbår</i> | <i>Helsingis Snytterbår</i> |
| <i>Daliis jolebår</i> | <i>Germanis Erdberen</i> |
| <i>Babusis Backbår</i> | <i>Belgis Aardbezien</i> |
| <i>Gotlandis Rödbår</i> | <i>Gallis Frasiers</i> |
| <i>Wgothis Háttebår</i> | <i>Anglis Strawberry.</i> |

Maturefcunt Fraga apud nos sub finem mensis Junii, & durant ad finem caniculæ, seu incipiunt dum Pavo primas dimittit gemmantes pennas & continuant in maturitatem Cerasorum. vid Calend. Flor.

§. IV.

Baccis a plerisque annumeratur Fructus *Fragariæ*,

riæ, qui tamen proprie bacca non est. Fructus Botanicis audiunt Pericarpia, quæ sunt vel *Sicca*, ut *Capsula*, *Siliquæ*, *Legumina*, *Folliculi*, *Strobili*; vel *Succulenta* ut *Poma*, *Baccæ*, *Drupæ*; Ad neutra horum Fructus *Fragariæ* accedunt, sed mere sunt Receptacula seminum, ab aliena scilicet parte Fructificationis. Sic *Mori* Fructus Bacca non est, sed tantum Calyx succulentus. *Rosæ* Fructus pericarpium non constituit, sed mere est calyx coarctatus, coloratus & carnosus. *Ficus* Fructus constat Receptaculo coarctato, ventricoso, succulento, ideoque non ex pericarpio. *Humili* strobilus fit ex meris squamis calycinis in alam productis. Haec qui non intelligit, in consideratione sexus plantarum facillime errare potest, & illi paradoxum videbitur, fructum absque Mase & prægressa fecundatione prodire. Similiter Fructus *Anacardii* videtur *Drupa*, cui nux insidet supra & extra Pericarpium, sed in eo fructus carnosus non est nisi receptaculum carnosum grandefactum. Similiter etiam cum fructu *Fragariæ* comparatum, qui ex receptaculo solo perficitur succulento, per maturitatem colorato & e suo Calyce deciduo.

§. IV.

Pharmacopolia e *Fragaria* nostra asservant *Herbam*, *Fructum*, *Syrupum*, *Aquam*, *Spiritum*, *Acetum*, quæ tamen omnia ab hodiernis Medicis, in sanandis morbis, rarissime præscribuntur. Aqua sola, rarius licet, pro cosmetico adhibetur, imprimis ad maculas

*) 8 (*

culas faciei & varos depellendos aut etiam in lipi-
 pitudine, sed neque in his multum præstat. Fru-
 tus autem avide ingurgitantur non modo a Pueris,
 fructuum plerorumque avidissimis, sed etiam tam a
 Plebejis quam a Nobilibus in deliciis habentur.
Baccæ vel per se adhibentur, vel cremore lactis aut
 vino perfusæ, vel saccharo adsperis, vel & saccharo
 cum vino aut lacte cum saccharo mixtæ. Quovis
 modo sumtæ vix unquam nocent, neque vero, ut
 alii fructus, acidum spontaneum generant, neque
 Diarrhœam, Colicam, Choleram, Febrem aut Cathar-
 rhum excitant, ut ut varii Auctores hoc vitium ipsis
 tribuunt. Alvum levissime solvunt, si ab initio ni-
 mia copia & antequam ventriculus iis adveverit,
 assumuntur; levissime & vix manifeste diureticæ sunt;
 Acescentes mitissimæ, adeoque parum refrigeran-
 tes, nec copia aut excessu, quantum vidimus un-
 quam, nocuerunt.

Occurrunt interdum Constitutiones quædam
 admodum singulares, quæ, nescio qua antipathia,
 Fraga perferre nequeunt, licet ipsis sapiant, verum
 unica alterave comesta Bacca, in deliquium incidunt,
 & toto corpore maculis efflorescunt petechialibus;
 Exempla vidimus in Illustri Mathematico Gener.
 Consiliario Status Klingenshierna, & Uxore Adses-
 foris Coll. Med. D. D. Moræi, paucissimisque a-
 liis; at vero inde non concludere magis licet, quam
 ab iis, qui commorari nequeunt in domo, ubi Felis
 se insinuavit.

§. VI.

Diathefes generantur in Corpore humano plurimum morborum & mortis Cauſſæ proximæ. Uti *Acida*, *Alcalina*, *Salina*, *Scorbutica*, *Siphylitica*, *Scrophuloſa*, *Tartarea*. &c. In his debellandis omnes Medici ſunt & fuere imprimis attentæ; utinam in his plura innotefcerent medicamina, uti contra Acidum *China*, contra Siphyliticum *Hydrargyrum*, contra Scorbuticum *plantæ Tetradynamicæ*.

Calculus, *Sabulum* & *Tartarus* omnesque lapides in animalium corporibus producti, ejuſqem ſunt naturæ & ex profapie *Calcaria*. *Calx* ſolubilis Acido, eodem ſaturata *Gypſum* evadit, acido ulterius non ſolubile. Ex variis Acescentibus & ſaliſ ingeſtis oriuntur plurima concreta lapidea in corpore gypſeæ naturæ, adeoque non ſolubilia ulterius acidis, ejuſmodi certe, quæ ea copia aſſumi poſſunt, ut per totam ſangvinis maſſam diffundantur. Ad hæc concreta pertinent *Calculus urinarius*, *materia Podagrica*, ex nodis podagricorum manifeſta, *Tartarus dentium* &c. Hæc ex impuris & ſtagnantibus concreſcunt humoribus, imprimis ſub otio & quiete, dum ſalibus cryſtalliſantur particulæ terreſtres in ejuſmodi *Tophos*; Hinc Aquæ potatores, qui lymphæ diluunt & ſangvinem quaſi lavant, viſcidas auferendo particulas, his minus obnoxii; Hinc qui otioſi aut morbis diutius lecto detenti, *Calculus* incurrun. Hinc qui copioſe Vina acida ingurgitant, ob ſal in vino detentum, ſæpius *Arthritici*: Omnis Medicorum ſpes, contra *Calculos* & affines, hoc noſtro quo

vivimus tempore, posita est in pilulis lithontripticis D Stephens, ex calce & sale alcalino confectis, quibus averfatur Gula & Ventriculus; quibus læditur digestio; quibusque massa sangvinea diatresi salina scorbutica inficitur, ut non raro, præ Scelotyrbe, dentes ex alveolis cadere faciat, ne loquar appetitum ciborum & dosim enormem cum fastido Ægroti. Taceo reliqua lithontriptica varia, quæ sefellere Magistrum; Hoc tantum dicam, quicumque ejusmodi jactitat lithontriptica, si non simul tartarum dentium tollant, ubi immediate agere possunt, fallit certe & fallitur eorum Auctor. Lithontriptica sua jactent alii, nobis unicum tantum, quod materiam solvit tartaream, notum est, quodque est succus Fragorum. Fraga majori copia assumi possunt, quam ulli alii fructus acescentes, & quidem absque ulla noxa.

Hæ Baccæ magna copia ingestæ nudæ & quasi decorticatæ facile exprimuntur per vias Chylopojeticas, ut succus ex his sic expressus, abundantior cum massa sangvinea possit misceri, viresque suas per omnia vasa totius corporis simul exserere; diluere scilicet impura, solvere sabulosa & parum sub firio, quo prodeunt ardente, refrigerare.

Quicumque itaque Fraga copiosius assumit, & quotidie his continuat, quamdiu eorum Messis durat, magis Massam suam purificabit sangvineam, quam ullo fonte loterio aut aqua minerali; qui simul laborat denibus Scorbuticis, viscidis, fœtidis, & quod
pro-

probe observandum tartaro obductis, intra 14 dies eos depurgatos videbit, tartaro omni ablato.

Dixera simul observanda erit, ut facilius & promptius opus suum hoc medicamen perficiat; quæ in parciore esu Carnium & Lardi præsertim durioris, consistit, in abstinendo item ab Acidis, præcipue Vinis; nec aliud vitandum novimus:

Podagræ seu Arthritidi nullum remedium huic æquiparandum novimus, si æger quamdiu Fraga proveniunt, ex his consumit, quantum partitis vicibus, quovis die ter vel quater, ingurgitare potuerit, a minore incipiendo copia, & imprimis cum fraga adhuc nondum perfecte maturaverint, magisque accescencia sunt, indies majori quantitate hæc edendo continuans, donec ventriculus ipsis magis adsveverit. Hæc certe levi cura, Tuto, Cito & Jucunde multi apud nos, quos novi, a diro hoc curati fuerunt morbo.

§. VII.

Inventum hoc Generosiss. D. D. PRÆSIDI debemus, cui ansam podagra suppeditavit enormis, quæ ipsum anno 1750 adgrediebatur. *Circa finem Junii in sultum incurrebat podagricum tam enormem, ut per 14 dies neque cibum nec somnum capere posset, & ne quidem præ dolore per duo minuta pedes in quiete tenere. Digitorum pedis articuli rubescebant, nodis intumescebant, & cetera more solito; Materia podagrica ex uno pede in alterum, in manus, reliquosque iterum articulos migrabat. Tandem fere mori-*

bundo patella Fragis impleta offerebatur, quæ sola Gulæ placebant, & ex horum esu primo post 14 dies, per aliquot horas obdormivit. Evigilans plura petiit fraga & circiter orbiculum his refertum consumsit; iterum a media nocte in tempus mitutinum obdormiens, absque omni doloris sensu evigilabat, Lectumque reliquit, verum a morbo admodum debilis. Una sic dosis plus, in vacuo per 14 dies ventriculo & corpore, effecit, quam alioquin plures.

Insequente anno 1751, podagra eodem tempore revertebatur, vix ut Atrium Regium Drottningholmiae, ubi tum erat, facie pallida & cachectica ascendere posset. Sciscitanti SERENISSIMÆ REGINÆ, jam Viduæ, quid Ipsum deficeret, fraga respondit, quæ obtinere non posset; Mitissima REGINA Ipsi integram patinam adferri jussit, qua circa vesperem vacuefacta, agilis, proxima hora matutina, Atrium ascendebat.

Tertio insuper anno eodemque tempore denuo Podagra, sed longo mitior redit, fragis iterum debellata. Quarto quintoque anno, solito tempore, vix tamen manifeste, insultus sensit, mox eodem superatos modo, à quibus jam per 20 fere annos immunis vixit. Ab eo inde tempore, modo dicto, Fraga quævis æstate consumsit, quæ massam sanguineam mundificarunt, pondus corporis sublevarunt, faciemque floridiorem reddiderunt, ut plus SE iisdem debere asseveret, quam alii aquis mineralibus.

Medicinam hanc præstantissimam, ab EO edocti, summo cum effectu, plurimi adhiberunt, unde etiam

etiam Pretium fragorum octuplum vel ad minimum sextuplum evasit, ut sæpe ullo vix pretio hæ bæcæ obtineantur, ea copia, quæ a variis desideratur.

Usus horum in morbis Arthricis dein multum invaluit, sed nullum etiamnum novimus, qui hunc in Calculo tentavit; nulli tamen dubitamus, quin eundem effectum etiam in eo præstent, cum Calculus eadem constet materia, qua Tartarus in topis podagricis. Qui vero Fraga pro scopo Calculi Urinæ assumere volunt, diligenter observabunt, quod calculus communiter viscido vestitus in Renibus includitur aut Vesica, quodque hic fragorum succus, dum solvit viscidum Caluli corticem, ut nudus jaceat, magis debeat irritare ab initio fibras nerveas, usque dum exterior ejus scabra substantia solvi incipit; adeoque non terrefactus desistat, nec, quod ideo fraga in hoc morbo magis noxia sint, quam salubria, credat.

Phthisin curatam Fragis large comestis C. Hoffman meminit; in Phthisi certe calculosa juvare debent.

Leucorrhæam Fragorum esu sublatam fuisse observat Rajus.

Non qui multa, sed qui utilia, scit, ille sapit

TANTUM.



Domino Auctori.

Pluribus Tibi nominibus obstricti sumus, Domine Eruditissime, quam ut occasionem, a fortuna datam, de Specimine Academico Tibi congratulandi, simulque animos testificandi gratissimos, Tuique amantissimos, demitteremus. Quoniam ea nobis jam non est ingenii atque ætatis maturitas, ut dignos meritum tuorum præcones agere possimus, differre hoc officium cogimur, usque dum, Te, Duce fidelissimo, altiore cognitionis gradum attigerimus. Interea Deum Optimum, Maximum, precamur, ut conatibus Tuis faveat & quævis Tibi felicia largiatur.

DAVID. PEHR. SAMUEL. ANNERSTEDT.